

uinitus alia uis est indita Soli, alia Lunæ, ut uis est
alia piperis, alia malug, & piū est agnoscere opera dei
& obseruare uires illis inditas. Sed hæc disputatio
longior est, quàm ut hic tractari tota possit, & extæt
libri eruditissime scripti multorum, qui Pici & alio-
rum similibus calumnijs respondent. Illud tantum
adijciendum esse putauī, iniquum est pronunciare
priusquam causam cognoueris, At illi uituperant
hanc doctrinam qui simpliciter eam ignorant. Qua-
re eorum iudicia merito deridentur. Non temere
dissentendum est ab eruditissimorum & prudentis-
simorum hominum iudicijs, qui cum harum arti-
um uim & usum cognouissent, posteris eas, tanquã
uitæ utiles tradendas esse putauerunt. Et Arrogan-
tia est cum summa stulticia coniuncta, uenari choras-
gium aliquod gloriæ ex insectatione artium, quæ
sunt graui autoritate doctorum & prudentum rece-
ptæ. Sed de hac controuersia alibi disputabimus
prolixius. Bene uale doctissime Schonere, & per-
ge de publicis studijs bene mereri. V Vittebergæ
Mense Augusto, Anno M. D. XXXVI.